

G

H

W

1

6

2

4



Disciplinae Speculative generales à se invicem per abstractionem à materia
 sensibili ita distinguuntur, quae triplicem modum habet abstrahendi à ma-
 teria Physica et Sensibili, quorum singulas singula etiam convenit Discipline:
 1. Si abstractio fit solum à materia signata i. singulari, quo modo homo abstra-
 hitur à materia non, omni, sed singulari solum seu conditionibus individualibus,
 et talis abstractio est, quae assignatur Physica. 2. Alia abstractio fit à materia et signata
 et universaliter secundum rationem; Quomodo dicuntur ea abstrahi, quae in materia
 eadem reserata sunt, et existunt solum, sed tamen tunc abjunguntur in apprehensione
 sua ab omni materia sensibili: Sic quantitas quidem per se est in materia sensibili,
 sed tamen à mathematico apprehenditur sine materia sensibili: et ejusmodi ab-
 stractio secundum rationem competit Mathematici. 3. Alia denique abstractio est, quae
 fit à materia secundum rem et rationem, uti solet in iis, quae non solum in ap-
 prehensione intellectus sine materia concipiuntur, sed etiam reserata sunt et saltem
 ut sic materiam non habent. Quo modo DEUS et Angeli abstrahunt à materia se-
 cundum rem et rationem, quia hi nec apprehensione mentis concipiuntur cum materia,
 nec etiam aliqui verè habent materiam, et hic estis modus est quem Metaphy-
 sica sibi unice vendicat.

In Metaphysicis alia tractantur per se et immediatè et propter disci-
 plinam ipsam: alia a. mediatè et per accidens, et propter disciplinas
 alias, quarum subiecta praecognoscere debet Metaphysica.

Ob K. F.
 W. F.

iz JC

Signat!

~~SSI~~

P. q. 4.

11
DISPUTATIONUM
METAPHYSICARUM
DECIMA,
De
PRINCIPIO ET PRIN-
CIPATO,

Item
CAUSA ET CAUSATO,
Quam

Primo omnium rerum PRINCIPIO
CAUSAE prima dirigente,
Sub PRÆSIDIO

M. JOHANNIS SCHARFII

Croppenstad. Saxonis,

In


ALMA LEUCOREA

Publicè tuebitur

PAULUS GILBERTUS

de Spaignart,

*Ad diem 19. Julij horis matutinis,
in Auditorio minore.*



WITTEBERGÆ

Ex Typographéo CHRISTIANI THAM,
Academ. Typogr.

ANNO M DC XXIII.

METAPHYSICARUM

DEI MA

PRINCIPIO ET PRIN-

CIPATO,

CALISA ET CALISATO,

PRINCIPIO ET PRIN-

CIPATO,

DEI MA

M. JOHANNIS SCHNAPPI

OPUS

APRILIS

PALATIUS

OPUS

DEI MA

OPUS


OPUS

OPUS

OPUS

OPUS





DISPUTATIONIS METAPHYSICÆ
DECIMÆ

μεγαύλιον.



Ntequam ad principii & principiati evolutionem procedamus, aliquid prius monendum videtur de titulo, quem nonnulli huic materię præfigunt. Quidam inscribunt *de principis Entis*. Alii *de principis Metaphysicæ*. Et hæc quidem posterior inscriptio suo modo tolerari potest & excusari, si ita intelligatur *de principis Metaphysicæ*, hoc est, quatenus sunt Metaphysicæ considerationis. Aliàs si putetur Metaphysicum agere de illis, tanquam de causis, quibus demonstrantur aut probentur conclusiones ejus: vel Metaphysicam hic primum versari in suis principis explicandis, tunc iste titulus non est admittendus. Non enim hæc nostra prima Philosophia est totaliter simplex scientia, sed *ἡ κεφαλὴ ἔχουσα*, ut loquitur *Arist. 6. Eth. cap. 7.* Prior verò omninò est repudianda. Non enim hic agi potest de principis Entis, quia nulla dantur. Impossibile est generalissimæ disciplinæ objectum habere principia. Nos ergò aliter. Nos hic acturi sumus de principis & causis tanquam de iis, quæ Ens insequuntur immediatè, idq; distinctim denominant. Ergò *Principium & causa hic non sunt principia Entis, sed ejus affectiones sive attributa consequenter ipsi competentia.* Interim attendes, quod Metaphysicus præcipiat de causis & principis aliter aliòvè modo, quàm Physicus aut Logicus. *Logica* saltem intentionaliter agit de causis, quatenus sunt principia demonstrandi & cognoscendi; Imò non tam de causis ipsis agit, quam de locis causarum. *Physicus* verò agit de causis limitatis & contractis, ut eas consideret in ordine ad morum. *Perer. lib. 8. Phys.* hoc est, *Physica* dispicit de causis sub momento secundo, & restrictis ad certum Entis genus; Sed *Metaphysicus* de iisdem speculatur sub momento primo & in abstractione ultima, hoc est, in generalissima natura. Quem diversum considerandi modum accuratè satis ostendunt *Suarus in disp. 12. proæm.*

Dn. Jac. Mart. Exerc. Met. 4. theorem. 1. Rutgers. lib. 2. Met. cap. 1. Dn. Gutherius
disp. Met. 7. & alii. Ita ergò & nos nunc de principiis & causis præcipere
sumimus. Et quidem ut distinctè progrediamur, distinctis capitibus
membra hujus disputationis proponenda erunt. Sit proindè

CAPUT I.
DE PRINCIPIO ET PRINCIPIATO.

Principium
1. absolute

2. relative

I. *Omne Ens vel est principium vel principiatum*: Ita ut 1.
absolute quoddam Ens suâ naturâ & essentiâ sit principium,
nec possit esse principiatum: quomodo *Deus noster gloriosus*
unicè est principium: quoddam verò Ens suâ naturâ sit prin-
cipiatum, adè ut essentialiter ratio principiatum sequatur ad
ipsius naturam & entitatem, quomodo se habet omnis crea-
tura. 2. *relative determinate* & naturaliter, prout Entia varie in-
ter se conferuntur sub respectu anteriorum & posteriorum.

II. Hoc, quod dico, facile patet ex ratione principii.
Principium dicitur ab eo, quod sit *primum*, ut nimirum prin-
cipium est. Undè principium dicit respectum anteriorum,
cum ordine quodam ad posterius. Et principiatum dicit ordi-
nem posterioris ad prius.

III. At verò *Primum* est vel *simpliciter tale*, vel in certo
genere. Illud est, quod *plane non habet se prius*: Ideoq; ab-
solutè & *ἀπλῶς* dicitur *Primum*. Et tale dicimus esse *solum*
& *unicum Deum*. *Primum in suo genere* est, quo secundum
hanc determinationem, quam in suo genere habet, nihil est
prius. Sic *Primus in Imperio Romano* est Imperator.

IV. Dicimus ergò, quod *principium inferat prioritatis*
ordinem. Et in hac ratione præcisè consistit principium.
Differt ergò à causis. *Causa enim respectui prioris adhuc ali-*
quid addit, nempe influxum ad esse causati: Ergò causa est an-
gustior & strictior principio, ita ut quidem *omnis causa sit*
principium, sed non contra, omne principium sit causa, sed
quoddam saltem; nempe materialiter sumtum & cum re-
spectu dependentiæ complicatum.

V. Aliàs

V. Aliàs ita describit Arist. *Principium est id primum, unde aliquid aut est, aut fit, aut cognoscitur.* Sed accuratius Thomas 1. p. quest. 33. art. 1. ita. *Principium est id, à quo aliquid procedit quocunq; modo.* Ubi notandum. 1. Vocem à quo sumi generaliter, pro Undè: quemadmodum & Aristoteles sæpè commutat vocem ὅθεν & ἀφ' ἧ. 2. Aliquid non infert arietatem essentia, sed *fusissimè sumitur arietas, qualis etiam possit intercedere inter ea, quæ sola ratione distinguuntur.* Principium enim & principiatum sæpè non nisi ratione distinguuntur. 3. *Vox procedendi amplissimè significat omnem modum, quo quid ad aliud consequitur, adeoq; dicit connexionem aliquam.* Confer. *Exerc. Met. Dr. Jac. Mart. lib. 1. Exerc. 4. theor. 1. Scheibl. lib. 1. Met. cap. 19. tit. 2. art. 2.*

VI. Hinc notant, quod due sint conditiones principii, in quibus consistat 1. ut sit quoddam prius. 2. ut referatur ad posterius. Et sic principium de se semper involvit respectum ad aliud consequens. Interim non negatur, quod quandoque *vox principii sumatur negativè pro initio, quod negat antecessorem:* quomodo filius, ante quem non est natus alius, dicitur primus, etsi nullus post ipsum nascatur. Vide Scalig. *exerc. 364. sect. 2.* Sed prior acceptio principii potissimum est hujus loci.

VII. Et sic se habet *natura principii in Universalis.* Varios autem admittit respectus materiales ista ratio principii, ob quos ratione applicationis variat. Undè *principium vel πρῶτος sumitur, vel secundum analogiam & similitudinem.* Illud est in unoquoq; primum, unde aliquid pendet in esse vel cognosci. Quod exindè dividitur in principium essendi, vel cognoscendi.

VIII. *Principium essendi est, à quo aliquid fit, aut habet, ut sit.* Et hoc est Incomplexum, uti in Phisicis sunt materia, forma, Efficiens, finis illarum rerum: Item Genus & differentia dicuntur *aliis principia essendi Metaphysica*, eò, quod conceptus in mente quiditativos distinctè constituent.

Essendi



Cognoscendi

IX. *Principium cognoscendi est ratio quadam, per quam tanquam per se notum quid, innotescit aliud.* Talia principia sunt in disciplinis varia: E. g. Totum est majus qualibet sua parte. Ἀπλῶς primum principium cognoscendi est: Quodlibet est, aut non est: In Physica primum cognoscendi principium est. Natura est principium motus & quietis. Attende verò, quod *principia cognoscendi sic dicantur secundum modum precisionis loquendo.* Quando quidem in eo differant cognoscendi & essendi principia. Quod hæc conferunt ad esse & cognosci: Illa autem tantum ad cognosci.

per analogiam

1. respectu promotionis

2. respectu dignitatis

3. respectu facilitatis

4. respectu originis

X. *Principium per analogiam dicitur, quod tantum in ordine positum est sine omni dependentiæ ratione.* Et sic varè dicitur aliquid principium. 1. *Omne id rei, à quo quid promovetur.* Sic est principium in Magnitudine, motu & tempore. 2. *quodcunq; in quoq; genere dignius est.* Sic consul est principium senatus. Sic Rector est principium senatus Academiae. 3. *omne id, undè quid est facilius.* Sic principium doctrinæ dicitur in specie, quando ordimur doctrinam non à principio rei, sed undè quisq; discit facilimè. 4. *quod ratione originis est primū.* Sic fundamentum est principium domus. Huc refer ea, quæ Arist. disputat. de prioribus & posterioribus in categ. cap. 12. Fonseca ad 5. Met. cap. 11. tit. 6. Dn. Jac. Mart. Exerc. Met. 13. theor. 1. 2. & 3. & 6.

XI. *Principiatum est, quod ordinem habet ad principium.* Aliàs in communi usu *principiatum dicitur, quod & quatenus ex internis principiis existit, ut loquitur Scal. Exerc. 307. sect. 20.* Tot etiam modis dicitur, quot principium, cum sint correlata. Quæ acceptiones principiatu facile intelligentur è conditione principii. Hæc quæ theses.

Usus & Abusus.

Omnis nostra cognitio, omnis contemplatio, omnis disquisitio veri & omnis planè disputatio procedit ex certis principiis.

*cipis. Nemini enim gratis credimus: sed adsertionis alieni-
jus fundamenta sive rationes quærimus, ita ut id, quod nobis
aliquis persuadere vult, vel ex Scripturâ sacrâ, vel ex naturâ,
statuamur. Non ergo dubium esse potest, quin hæc dis-
putatio de principiis in Universalibus sumtis usum ubiq; habeat insi-
gnem. Quomodo enim ex principiis determinatis feliciter
discuteres, nisi, quæ ratio & conditio principiorum sit, hic præ-
noveris? Ita scilicet se habet distincta notitia particularium,
ut per se dependeat ex prænotione Universalium. Et atten-
datur modo, quantum intersit discernere principia cognoscen-
di à principiis essendi. Quantum intersit, terminum principii
abstrahere à ratione causa: Quantum intersit, universalem
sive formalem principii rationem obtinere, eamq; distingue-
re à materiali ejus applicatione. Porro principia cognitionis
ordinant nobis disciplinas, & quia in ordine datur supremum
& infimum, docent hæc, quæ sint scientiæ superiores, & quæ
sint inferiores, quæq; subalterne. Dignitas ergo summa in il-
la disciplina residet, ubi principia sunt indemonstrabilia.
Et iste honor tantum Metaphysicæ competit propter ἀναπό-
δειξιν (indemonstrabilitatem) principiorum suorum. Reli-
quæ verò inferiores dicuntur: Subalterna autem, ubi sub-
alternatæ scientiæ principia adsumuntur ex subalternantis
systemate. Principia verò essendi disciplinarum nobilitatem
ostendunt. Illa enim scientia præstantissima est, cujus obje-
ctum magis de actu participat. Nihil attinet nunc fari de
aliis. Quædam in Theologiâ concisim notemus. Credimus
& confitemur in divinis patrem æternum esse principium filii,
imò esse principium totius Trinitatis. Indè varias excitant
urbas & Sophisticationes hæretici, ut incautiores fallant,
ipsisq; negent divinitatem filii. Putant Photiniani indè se-
qui, filium non esse æternum Deum, non esse Ens primum, non es-
se equalis dignitatis, nec ejusdem essentia cum patre, itemq; esse
principiatum, & posteriorem patre, & quæ sunt alia, quæ ex
depra-*

posterioritas ordinis
habet illi aeterni-
tatem.

posterioritas naturae
habet aeternitatem.

depravatione principii perperam colligunt. Et sanè nisi hic accuratius quis fuerit informatus, facile poterit abripi aut turbari. Teneamus ergò ea, quae thes. 4. 5. & 6. proposuimus de ratione principii, exindeq; contra Photinianos urgeamus. I. quod *Aeternitas non statim negetur in filio, Pater si dicitur ipsius principium*: Cum vox principii de se saltem dicat ordinem prioritatis; At nihil repugnat, quo minus iste respectus sit inter aeterna. Et quis non intelligit, quod *Aeternitas* (non tollat omnem prioritatem sed) *saltem neget prioritatem temporis sive durationis*. Quod ipsum vel ex eo manifestò patet, quia *potest aliquid alii esse coaeternum, ubi tamen intervenit prioritas naturae*: Veluti si ponatur, Deum ab aeterno produxisse angelos (quod sanè fieri potuisset) tunc *Angeli* quidem Deo fuissent posteriores naturà, & tamen *Deo coaeterni fuissent*: Cum ab aeterno juxta hypothesein statuantur à Deo conditi. Sic & *splendor*, qui gignitur atq; diffunditur à *Sole*, *coevus est illi*, & prorsus esset *Soli* coaeternus, si *Sol* statuatur aeternus. Apparet ergò, quod non omnis posterioritas, ne quidem naturae posterioritas, officiat aeternitati: adeoq; & hinc primus error atq; impostura Photinianorum apparet. Deindè nec illud vero consonat, quando colligunt: *Pater dicitur principium filii. Ergò filius non est Ens primum*. Non enim omnis prioritas repugnat Enti primo. V. g. *Attributorum divinorum Unum altero ita est prius, ut possit benè dici alterius principium, & per unum possit aliud demonstrari*: Et tamen omnia sunt unum *Ens primum*; *Saltem repugnat enti primo habere aliquid prius quòd aut tempore*. Scilicet *id Ens primum dicitur, à quo omnia dependent in esse, ipsum verò à nullo*. Jam & à filio Dei omnia sunt facta, vel ut *Job. 1.* loquitur: *Per ipsum omnia facta sunt, quae facta sunt*. Ergò filius Dei est *Ens primum*, licet Pater aliquo modo dicatur principium ejus. Et hoc propterea magis apparet, quia *non intelligitur principium naturae, quando*

quando dicimus patrem esse principium filii: Sed duntaxat intelligitur *prioritas ordinis, vel originis, item naturalis enumerationis*: Ita ut Pater, quia est prima persona Deitatis, rectè dicatur in ordine principium filii & Spiritus Sancti: Item dicatur fons & origo Deitatis. Hinc porro conspicitur, quàm *falsò exinde inferatur, filium Dei non esse equalis dignitatis & essentiae ejusdem cum patre*. Quis enim ignorat, quod *prioritas ordinis non inferat de se dignitatem aut excellentiae prerogativam*? Qui primus est in ordine & processu aliquo, non statim exinde est dignior eo, qui sequitur demum. Neq; etiam repugnat, quo minus sit *ordo prioritatis inter ea, quae sunt ejusdem essentiae*. Sanè veritas transcendentalis prior est Bonitate, & tamen ratione entitatis unum quid sunt. Ergò adhuc manet filius ejusdem essentiae & dignitatis cum patre, licet ipsius principium dicatur pater. Quod *opponunt de principiatio*, itidem vanum arguitur è dictis. *Non enim omne, quod habet principium, statim est principiatum*. Hoc enim saltem ad principium naturae & dependentiae sequitur. In iis, quae ordinis prioritatem servant, non obtinet: nisi fortè latius, quam par est, & abusivè accipiatur vox principiatum. Deniq; illud facile intelligitur, quando *obgannunt, filium fore posteriorem patre*. Id scilicet eo sensu concedi potest, quo *dici potest, patrem esse priorem filio*. Qua de re Theologi fusi. Interim consulatur *Dn. Scheibl. lib. 1. Met. cap. 29. tit. 4. Dn. Gutkiius Contempl. Met. disp. 7. Rev. & Excell. Dn. Jacob. Mart. Exerc. Metaph.*

Prætercà *Abusus hujus doctrinae* ubiq; est varius & multiplex, ubi experimur, quàm enormiter peccent multi in usurpatione & applicatione terminorum præsentium, Principii & Principiatum. Quando nos credimus, *Christum fuisse filium Mariae primum*: Ergò, intorquent hæretici, non fuit unigenitus, sed habuit Maria & alios filios, Ratione quorum Christus dicitur primus. Sed misere isti homunciones fal-

B

lunt

juat & falluntur. *Confundunt principii acceptionem negativam cum positivâ.* E thesibus notum est, quod vox Principii etiam sumatur negativè: ubi tunc non opus est, ut priori respondeat posterius. Et sic Christus est primus filius Mariae, quod scilicet non habuerit priorem. Summatim *abutuntur hac doctrinâ omnes ii, qui principia rationis confundunt cum principiis Theologia.* Item, qui turpi *usque ad unius scientia* objectum per alterius principia volunt demonstrare, quod peccatum doctrina de demonstratione in Logicis summâ cum prudentiâ evitare jubet. Alia nunc quidem linquo, & aliis reservo scribendi meditandiq; conditionibus. Sequuntur ergò

A X I O M A T A.

1. *Principiorum ratio solum ad Metaphysicum pertinet.* Scal. 1. de causis latinæ linguæ cap. 4. fol. 9. Scilicet in actu signato. Insuper intellige principia prima & universalia, non autem particularia. Hæc enim pertinent ad particulares disciplinas.
2. *Ens quatenus Ens non habet principia essendi.* Ita patet ex supra disputatis. Hic saltem iterari debebat, ut eò melius innotesceret, principia hoc loco non proponi, ac si essent Entis principia constituentia, sed saltem, quod sint consequentia propria Entis; sive quod principium & principiatum sint affectio disjuncta Entis.
3. *Omne principium prius est principiato.* Quia primum est, principiatum verò secundum. Confer *part. Met. Excell. Dn. Jac. Martt. lib. 1. q. 1.*
4. *Principium de sese non infert, nisi respectum prioritatis ad posterius.* In hoc enim consistit formalis ratio principiorum, & hac ratione per se Ens denominat.
5. *Principium distinguitur ab eo, cujus est principium.* Si non semper materialiter & realiter, omninò tamen formaliter.
6. *In Principiis non datur progressus in infinitum.* Quia per se subordinantur. Ergò tandem deveniendum erit ad primò primum, in quo tanquam in ultimo acquiescimus. Et ad cuius normam cætera dirigantur.

7. Pen-

7. *Pendens ab alio principium primum judicari non potest.* Quia scilicet habet se prius, à quo pendeat, vel in esse vel in cognosci.

8. *Alia sunt aliorum principia.* Arist. 1. de anima text. 5. vel quod idem: *Diversa sunt diversorum principia:* Si non quoad primum, remota & universalia: semper tamen quoad secunda, proxima & particularia.

9. *Mutato principio facile mutantur ea, que ex principiis pendent.* Piccol. grad. 10; Phil. moralis cap. 18: Ex Aristotele 8. Phys. c. 2. Quia scilicet ordinem habet principiatum, sive id, quod pendet ex principiis, ad sua principia: Qui ordo variet necessum est variatis principiatis. Aliàs in principiis essendi & cognoscendi Axioma hoc luce meridiana clarius est.

10. *Principia essendi sunt etiam principia operandi: vel, Unde res habet, ut sit, in idem etiam habet, ut operetur.* Fonseca lib. 5. Met. cap. 1. q. 1. sect. 3.

11. *Principia essendi sunt etiam principia cognoscendi.* Zab. lib. de præcog. cap. 4. Hinc *Albertus Magnus in predicabilibus* ait: Principia, causæ, & Elementa cognoscendi eadem sunt, quæ sunt principia essendi.

12. *Contra negantem principia non est disputandum.* Scilicet 1. *Contra negantem principia cognoscendi, eaq; prima & communissima.* 2. *Contra negantem principia in sensus incurrentia.* 3. *Contra eum, qui negat apparatus omnium principiorum.* Et deniq; 4. *Contra negantem principia specialia & propria alicujus discipline, non est disputandum ex illa disciplina, cujus negat principia.* Interim ex superiori quadam cum illo agere possumus; aut si superioris negat, ad absurdum deducendus erit ejusmodi disputator. Summatim *contra negantem principia non possumus disputare à priori in illa disciplina, cujus negat, possumus tamen à posteriori.*

CAPUT II.

DE CAUSA ET CAUSATO.

XII. Fuit doctrina principii & principiatu, nunc ergo im-

mediatè sequitur ratio causa & causati. Quemadmodum enim dictum est supra de principio & principiatio, sic etiam de causa & causato statuimus, quod sint affectio Entis disjuncta, ita ut omne Ens dicatur vel causa vel causatum.

178
XIII. Sed dubitant nonnulli, num causam esse & causatum esse sint affectio vera Entis: Dicunt Deum fuisse Ens ab eterno, & non fuisse causam. Ergò videtur per accidens convenire Enti, quod dicatur causa. Verùm attendant isti rationem Entis ut sic, & animadvertent illam quidem, præscindere ab esse causæ & causati; sed tamen ad illam essentialiter consequi, vel esse causam vel esse effectum sive causatum, adeò ut ex ratione essentia sive è conditione essendi fluat illa disjuncta Entis denominatio, quâ dicitur vel causa vel causatum. Ita scilicet se habet ratio essendi, ut omne Ens vel essentialiter denominetur causa, vel causatum. Ut hoc ipsum diducere possemus fufius ex iis, quæ disp. anteced. thes. 3. proposuimus. Sed obiter distinguamus inter causam esse; inter causalitatem actualem sive rō actu causare; & inter potentiam ad causandum. Licet Deus ab æterno ante mundū conditum non fuerit causa quoad influxum & causationem actualem; quatenus nondum produxerat extra se effectum: Omnino tamen suâ naturâ fuit causa inesse & quoad potentiam causandi: Scilicet ita ratione essentia affectus ut essentialiter ad esse ipsius insequatur, esse causam & principium omnium eorum, quæ extra ipsum cogitentur, sint vel fiant. Ipsum verò à nullo alio dependere posse.

179
XIV. Nunc ipsa quiditas cause operosius inquirenda & discutienda esset: Sed quia de causis passim agi solet, in Pby- sicis & Logicis: Quia prolixior est illa doctrina, quam quæ possit hoc in Collegio nostro sufficienter explanari, (in infinitum sic quasi excrescerent disputationes) quia etiam Præceptores nostri, illam ad sufficientiam explanarunt, utpotè Excell. Philosopho-Theol. Dn. Jac. Mart. in Exerc. & part. Met. & Dn. Gutkuis Contempl. Met. disp. 7. 8. & c. Confer Dn. Scheibl. lib. 1. Met. cap. 22. Suarez. disp. Metaph. 12. 13. 14. 15. & seqq. Rutgers.

Rutgers. lib. 2. Met. cap. 1. & seqq. itemq; quosvis alios Meta-
physicos accuratiores: Nos hac vice breviter saltem quæ-
dam attingemus, tum de *voculâ causæ*, tum de *definitione* ejus,
tum de *divisione* causarum.

XV. Primò autem *vox causæ est ambigua*. Sumitur enim nunc *latissimè* prout recurrit cum principio. Sic Arist. lib. 2. Met. cap. 2. etiam privationi attribuit nomen causæ, quando ait: *Tres sunt causæ & tria principia, scilicet λόγος* (forma sive ratio) *privatio & materia*. Fortè hæc laxa causæ acceptio ortum traxit à Græcis, qui in sua lingua vocem, αἴτιον, latius sumunt, quam aliàs *latini vocem causæ*. Ubi non nisi κατὰ γένεσιν tam latè sumitur vox causæ. Deindè *nimis strictè* accipitur pro efficiente, ut lib. 3. de anima cap. 5. text. 17. 3. vox causæ sumitur *proprie & in media significatione* prout respectum habet ad causatum, & dividitur in quatuor causarum genera. Sic lib. 8. Met. c. 2. sumitur. Videantur *Conimb. lib. 2. Phys. c. 7. q. 1. art. 1.* Et hæc acceptio causæ retinetur.

XVI. Et de hac causa ita proprie dicta similiter notandum, quod *in illa tria considerari possint*, secundum quæ tripliciter dicitur. 1. in causis est *entitas*: Quomodo absolute causa dicitur, cui denominatio causæ convenit. 2. *influxus sive causalitas actualis causæ in suum causatum, vel consecutio & dimanatio causati à sua causa*. Sic causa dicitur ratione dependentiæ & independentiæ, ut causa sit independens in hoc genere, à qua dependet effectus. Et hoc sensu dicitur è principiis substantiæ fluere accidentia. 3. *Relatio*, secundum esse, quæ causa ad causatum concipitur. Quæ tria oriuntur à *subjecto, fundamento & relatione causarum*. Combach 1. Phys. cap. 4. p. 78. Item Dn. Jac. Mart. Exerc. Met. 4. theor. 1.

XVII. Primum illud, quia nihil aliud est, quam ipsa res absolute spectata, vel *nihil vel parum facit ad formalem causæ cognitionem*. Etenim saltem materiale & subjectivam rationem obtinet in causis, infinitisq; modis variari potest: Uti Ens in reliquis affectionibus. Similiter & tertium, nempe

Ca. p. 1. m. 1. q. 1.
1. latissimè & p. 1. m. 1. q. 1.

2. in m. 1. q. 1.

3. p. 1. m. 1. q. 1.

Trium ca. q. 1.

1. Entitas.

2. causalitas.

3. relatio.

1.

relatio causæ, principaliter non facit ad formalem causæ rationem intelligendam. Est enim consequens causæ, & in illa tanquam in suo fundamento esse habet, proindeq; in suo esse, ab illa pendet tota. Non ergo relatio tam faciet ad causæ formalitatem dijudicandam, quam hæc potius ad illam.

XIIX. Relinquitur exindè *medium illud*, quod in causis erat, *dimanatio causati ad suam causam*, sive causæ in suum causatum influxus. Qui à Philosophis solet vocari *Ratio causandi*, adeoq; dicitur *esse id, quo causa actu & formaliter causat, & à quo formaliter denominatur causa.* Ut hac de re disputat *Suarez. disp. Met. 12. sect. 2. Et Dn. Jac. Mart. dicto loco. p. 130.* Atq; hoc est, quod potissimum hoc loco in doctrina causarum attenditur & respicitur.

XIX. Hinc ita definitur: *Causa est principium, quod per se importat influxum ad esse causati: vel causa est influxus sive concursus, quo unaquæq; causa in suo genere actu influit esse in effectum.* Suarez. dicto loco dist. 12. Ubi principium fit ejus quasi genus, cum latius patet causâ, uti supra docuimus. *Differentia* verò absolvitur reliquis verbis, nempe *influere in aliud, sive inesse causati.* Sic enim limitatur principium ad causam. Notandum ibi, quod *influere sive influxum importare ad esse causati, nihil aliud sit, quam dare vel communicare esse alteri & causato.* Quippè illa causatio & causalitas est ipsa ratio, quâ Ens proximè constituitur inesse causæ. Quæ sanè neq; ipsa entitas rei est, neq; relatio nuda causæ ad effectum, sed *medium* inter illa ac quasi fundamentum. Quod ipse influxus & causatio erit. Et quidem iste influxus causæ in causatum semper est cum vera & reali dependentia, ita ut *esse causati perpetuo distinguatur ab illo esse, quod causa in se habet.* Et sic illud esse, quod causatum habet, accipit à causa per causalitatem sive influxum causæ in esse causati. *Quod fieri non potest, nisi per aliquam communicationem, ut causa det esse causato, atq; hoc est, quod causa dicatur principium influens in esse effecti, ut influere sit communicare esse.* E. g.

Calceus

Calceus est causatum, sutor verò est causa calcei, cur? Quia dedit esse calceo, nempè influebat sutor in corium, & ita calceum conficiebat. Sic Deus dicitur causa omnium rerum, cur? Quia omnibus dedit esse, & per influxum realem omnia produxit.

XX. Cæterum *causæ variis modis dividuntur*. Et i. quidem *equivocè* in causam per se, & per accidens.

XXI. *Causa per se est principium per se influens esse in aliud*. Et hæc sola est vera causa, ad quam effectus reverà refertur, & à qua unicè dependet. Ut Homo per se producit hominem, proindeq; causa per se ejus est.

XXII. Alii ita dicunt: *Causa per se, est ad quam in actu positam, nec impeditam necessario sequitur effectus*. Dn. Gutkiius *disp. Met. 7. theor. 22.* Sic quando sartor actu influit in pannum, elaborando necessario fit aliquod genus vestimenti.

XXIII. *Causa per accidens, non est reverà, & propriè causa, sed tantum est quid conjunctum cum principio per se & reverà causante, aut alias ad influxum sive causalitatem propriæ causæ sic comparatur, ut hæc (causa vera) sine illo accidentario non quidem procedat, per se tamen non conferat esse causato.*

XXIV. Hinc dici solent causæ per accidens eò, quod *ipsis per accidens effectus tribuatur*, vel tales causæ, à quibus non procedit effectus: Sed per accidens junguntur causis per se, Ut *album* est causa per accidens hominis generati, in quantum albedo accidit generanti: Sic *Christus per accidens fit lapis offendiculi*: Evangelium odor mortis: divitiæ salutis impedimentū. Sic *in materiis* lignum per accidens fit materia fellæ; farina panis; aurum poculi: Sic *Eruditio fit forma hominis per accidens*, nigredo vel albedo brutorum; rotunditas mensæ. Sic deniq; *in causâ finali*. Corruptio fit per accidens finis naturæ, honor & divitiæ studiosi. Vide *part. Met. Dn. Jac. Mart. 8. lib. 1. sect. 7. tb. 28. & seqq. & quest. 6. ibidem.*

XXV. Quia causa per accidens non est vera causa, ideò illam relinquentes, ad causam per se digredimur, ejusq; varietatem inquirimus.

XXVI

XXVI. *Causa per se dividitur duplici modo, vel per modos generales, vel per suas quasi species.*

XXVII. *Priori modo variè se habet causa. Ita enim jam distinguitur in ordinariam & extraordinariam; jam in primam & secundam; jam in proximam & remotam; jam in universalem & particularem; jam in adequatam & inadequatam; jam in univocam & equivocam; jam in solitariam & sociam; jam in necessariam & sufficientem tantum; jam in causam reverà sic dictam & causam sine qua non &c. De quibus hac in disputatione singulatim non possumus agere. Possunt, qui volunt istas distinctiones definitivè cognoscere ex part. Met. Dn. Jac. Mart. lib. 1. sat. 7. thes. 25. & seqq. Item Exerc. Met. lib. 1. Exerc. 4. theor. 5. Dn. Scheibl. lib. 1. Met. cap. 22. Dn. Gutk. disp. Met. 7. & seqq.*

XXVIII. *Porro causa per suas species sive genera dividitur in internam & externam. Ita scilicet causa influxus variat & multiplicatur. Quoties aliquid de novo fit, semper reperitur, quod extrinsecè ad istius generationem agendo & movendo concurrat: itemq; quod intrinsecè illam rem de novo factam constituit, ejusq; essentiam absolvit. Illud externa causa dicitur; Hoc verò Interna.*

XXIX. *Utrumq; rursus est duplex. Etenim id, quod intrinsecè rem de novo factam componit, vel seipsum suamq; entitatem præbet per modum potentie passive. Atq; sic ipsum influit passivè inesse causati: vel seipsum suamq; entitatem præbet per modum actuantis actus sive informantis. Atq; sic actualiter influit inesse causati. Hinc oriuntur due diverse cause interna, ob istum diversum influxum intrinsecum: Prior influxus importat materiam, posterior formam.*

XXX. *Eodem modo & id, quod extrinsecus rem causat atq; producit, est duplex: vel enim influit inesse causati (producendo Ens novum) per motionem realem & actionem Physicam; vel saltem per motionem Metaphoricam, injiciendo scilicet appetitum & desiderium sui. Illud dicitur efficiens; hoc verò finis.*

XXXI.

XXXI. Summatim ergò habemus *quatuor causarum genera*, sive quatuor quasi species causarum. Ita ut duæ sint *interne*, nempe *materia & forma*; Et totidem *externæ*, nimirum *efficientis & finis*. De singulis minutim pauillulū monebimus.

XXXII. *1. Materia vox primo usurpata est ad denotandam in composito naturali partem illam, quæ est subjectum formarum Physicarum, mutationum, ac accidentium sensibilibium: Indè verò postmodum translata est & accommodata ad significandum omnia ea, quæ abstrahunt à tali materia, modo aliquam cum illa habeant convenientiam, quatenus nim. sunt aliquid potentiale, hoc est, quatenus possunt per aliud perficere & determinari.* Sic genus respectu differentie dici solet materia: Sic substantia intelligentie & Angeli dici potest materia respectu intellectus, voluntatis & omnium operationum propriarum.

XXXIII. *De posteriori & latiori illa significatione hoc loco in Metaphysicis agitur directè, cum illa stricta materiae receptio tantum ad Physicam pertineat.*

XXXIV. Materiam ergò Metaphysicè consideratam ita describimus: *Materia est principium, quod per modum potentie passive prebet & communicat se ipsam, suamque Individuam entitatem recipiendo actionem eductivam formæ, sustentandoque ejusdem formæ unionem, & sic constituendo ipsum compositum, tanquam essentia illius inchoatio & primum fundamentum.*

XXXV. Quomodo alias materia se habeat & quotuplex illa sit, vide sis vel in part. & Exerc. Met. Dn. Jac. Mart. vel in Physicis libellis quibusvis.

XXXVI. Nunc *de forma* paucis, cum illa intrinsecam connexionem & habitudinem servet cum materia.

XXXVII. *Vox autem forma ex primæva impositione denotat in composito naturali sive substantiali partem illam, quæ complet & planè constituit essentiam, cujus materia solum est inchoatio & fundamentum, ut dixi. Postea verò per quandam similitudinem cepit denotare omnia quæ cum tali forma*

C

qua.

qualemcumq; servant analogiam sive proportionem. In quâ
latâ acceptione etiam hic sumitur.

XXXIIIX. Unde definitur ita: *Forma est causa, quæ per mo-
dum actus præbendo sive communicando seipsam materia, con-
stituit unâ cum materia, compositum.*

XXXIX. Sic se habent *causæ interne*, quæ intrinsicè
componunt causatum communicando seipsas, perficiendo
& determinando.

XL. Quod verò concernit *reliquas duas causas*, omninò
aliter se istæ habent, scilicet *manent extra causatum*: Inter
quas prima & præcipua est efficiens.

XLI. *Causat efficiens conferendo causato aliam aliquam si-
milem entitatem*, non autem suam propriam elargiendo.

XLII. Rectè *Arist. lib. 2. Phys. cap. 3. & 5. Met. ait; Quod
efficiens sit primum principium motus & quietis.*

XLIII. Alii non inscitè *pro termino motionis* hodie pò-
nunt *mutationem*, propterea nim: ut omnibus causis sive in-
materiam agant, sive ex nihilo aliquid producant, accom-
modari possit definitio efficientis.

XLIV. Biel ita definit: *Causa efficiens est, quæ producit
extrinsecè aliquid, cujus ipsa non est pars.* Ut citat Dn. Jacob.
Mart. in prælect. Met. privat. lib. 1. cap. 13. Plura vide apud
omnes ferè Metaphysicos & Physicos.

XLV. Tandem *de fine* notetur, quod dici possit *causa
intentionalis*, eò quod *ab intentione agentis conceptus amore
& desiderio sui exstimulet agens ad agendum.* Et hoc est, quod
finis definiatur *causa, cujus gratia res est.* Sed hæc sufficiant
breviter de causis. Plura qui desiderat, in omnibus scriptis in-
veniet tum Physicorum, tum Metaphysicorum.

XLVI. Ultimo loco *de causato* notetur, quod sic *princi-
piatum à causa dependens.* Et dicitur quatuor modis: vel enim
ordinatur ad finem, & dicitur *finitum*; vel sumitur *ut depen-
dens ab efficiente*, & sic est *effectum*; vel prout est à materia, &
dicitur

dicitur *materiatum*; vel prout est à forma, & dicitur *formatum*. Confer Scal. & alios. Hæc quoad theses.

Ufus & Abusus doctrinae de Causis.

Non puto, quemquam hominum esse, qui de usu hujus doctrinae, quæ est de causis, vel quicquam dubitare possit, nisi fortè prorsus sit omnia rudis. Ita notum est causas præbere distinctam rei notitiam. Ita amplius est usus hujus disputationis, ut non possit in tam angustis unius dissertationis pagellis depingi. I. Generalem habet usum contra Ramistas, qui destituti verâ & perfectâ cognitione Metaphysicæ omnia confuse tradunt, adeoq; etiam causarum doctrinam præter fas & æquum primæ nostræ Philosophiæ suffurantur, eamq; Logicæ adjudicant, non sine summâ iniquitate. Speciales causarum distinctiones tantum tamque insignem ubiq; in disciplinis omnibus obtinent usum, ut si rectè tradantur & percipiantur, maxime verò si dextrè applicentur, multarum difficilium quæstionum nodos incidant. Nos propter diffusam earum rationem omnia persequi haut valemus. Minutim & quasi obiter moneamus paucula. In Theologia causa & causatum distinguit creatorem à creaturis: Unde vel ex hoc capite Metaphysica nobis esse debet charior: Qui toties ad creatorem nostrum nos ducit. Porro articulum de Providentia illustrat doctrina causæ efficientis. Nam si Deum non puidit res vilissimas creare, etiam earundem conservatio ipsum non prostituet, ut perperam hoc indignum ejus majestate existimarunt multi. Debebant verò cogitare, ad esse rei non tantum necessariam esse productionem, sed etiam perpetuam continuationem. Plura vide in speculo Rationis Dn. Jacob. Martin. lib. 2. cap. 54.

Cæterum doctrina de materia generaliter illustrat articulum creationis, ubi credimus ex nihilo omnia à Deo esse facta, non verò ex materia præjacente. Forma Providentiam iterum evehit, cum constet, unamquamlibet rem sua forma præditam esse, per quam agat. Et hinc falsam illorum opinionem tollimus, qui putant, Deum creatis non relinquere propriam



priam operationē, sed iis tantum uti quasi instrumentis: Quamvis & hæc opinio illud insuper incommodi habeat, quod Deus ita non possit vindicari à blasphemia illa, quâ causa peccati statuitur. Hic ipse Deus, quia omnium rerū finis ultimus doctrina de fine ad eundē nos deducit. Aliàs notum est, quomodo insigniter commodet doctrina de causis in disputationibus Theologicis, utpotè, quando quæritur: An persone S.S. Trinitatis rectè dicantur causa sociæ creationis: Quando quæritur: An idem possit esse efficiens & materia: An Verbum Dei quatenus predicatur ad efficientem conversionis causam, referri nequeat? An item possit esse causa & effectum? An unus idemq; effectus causa principali & instrumentali rectè proprièq; attribuat: Et quæ sunt alia quæ sita contra Calvinianos agitanda. De quibus vide part. 1. sobria Phil. D. Meisneri cap. 3. Item, quando contra Pontificios quæritur: Num causa prior sit suo effectui? Num causa sublatâ cesset effectus? Num res una diversas formas admittat? Num sublato formali tollatur materiale? Vide part. 2. Phil. sob. sect. 2. cap. 1. Confer & Dn. Jac. Mart. in prælect. Log. contra Keckerm. lib. 1. sect. 1. cap. 14. seqq. & ibidem passim.

Abusus in Philosophia & Theologia magnus est & per se manifestus. Quis nescit, quomodo Sophistæ sapissimè tentent per fallaciam causæ in autoribus imponere. Quis nescit, quomodo Heretici abutantur doctrinâ causarum nunc malè applicando axiomata ex causis deprompta, nunc pravè detorquendo, nunc distinctiones confundendo. Sanè Calviniani egregiè hic laborant. Dum carnem Christi dicunt Deitatis instrumentum, continuo isto denegant carni Christi vim vivificam, cum tamen scire debuissent, quod non omne instrumentū sit sine ἐνεργείᾳ, sed saltē illud, quod est extra principale agens: Quia ergò caro Christi intima unione cum λόγῳ est unita, fit, ut propter illam arctissimam adunionē cum inenarrabili Θεῷ maxime sit ἐνεργητικὴ, ut ut se habeat instar instrumenti. Porro in doctrina de Communicatione Idiomatum peccant in formæ doctrinam, quæ & se & suū actum

commu-

communicat materia. Illi ergò, quando majestatem commun-
nicatam humanæ naturæ pernegant, videntur quasi injuriam
facere formæ & prohibere suis dogmatibus, ne forma se
communicet materiæ, ut prolixius hac de re disputavimus
in spicilegio nostro quæst. illustrium disput. 10. quæst. 1. fed hæc
quasi in transitu de causarum usu & abusu.

A X I O M A T A.

1. *Nihil est causa sui ipsius.* Scilicet positivè, ut se causet.
Aliàs rectè dicitur negativè, quod *Deus* sit *causa sui ipsius* & à
se ipso. Valdè autem aberrat is, qui putat in compluribus acci-
dentibus, puta personalibus, idem esse causam sui ipsius, eò quod
homo seipsum reddere possit virtuosum, vitiosum, doctum &c.
Item, quod possit seipsum privare bonis, reddere pauperem, vi-
vens seipsum necare. Sed attendat iste, quod aliud sit homo,
aliud virtus aut vitium aut doctrina. Idem aliud paupertas
&c. *Dum aliquis se reddit virtuosum, non sui ipsius causa est,*
sed virtutis, & ita porro in aliis. Etenim fuit antequam se fa-
ceret virtuosum. Quomodo igitur tum sui ipsius est causa.

2. *Quicquid est extra Deum, per causas est in causis & ex
causis.* Scal. Exerc. 307. Scilicet ut creatum est, ita & compo-
situm est.

3. *Nihil fit sine causa.* Loquitur hoc universaliter de cau-
sis Externis, non verò semper valet in Internis. Nam Angeli
& Spiritus à Deo creati sunt sine materia & forma.

4. *Causa prior est effectu.* Arist. 1. Post. Analyt. 2. text. 10.
τὸ αἰτιὸν ὡς τὸ ἐργον, & αἴτιον. Scilicet, quia omne causatum depen-
det à causis suis. Ergò iis erit posterius. Notandum verò,
quod axioma loquatur *de prioritate naturæ, non autem sem-
per valet de prioritate temporis.* Deindè attende illa tria, quæ
in causis spectantur, nempe 1. *entitatem absolutam,* quam cau-
sa habet, antequam actu causat, & sic planum est, quod *causa
sit prior quoad suam substantiam causato.* 2. *entitatem juxta
quam causa est causa,* hoc est, *rationem formalem causa,* qua-
tenus nimirum causa influit in effectum. Et sic *Causa & cau-*

fatum sunt relata transcendentalia, adeoq; causa prior dicitur causato. Quippè cum relatione transcendentali optime stare potest prioritas & posterioritas. Et de hac functione causæ loquitur axioma. Nam juxta illam causa formaliter est causa.
 3. *Relationem attendes, quæ supervenit causæ & effectui, & fundatur in ratione formali ejus. Et sic dicuntur simul causa & causatum, & ita à nonnullis dicuntur relata predicamentalia. E. g. sint duo homines, alter alterum generavit: Ex generatione provenit, ut dicantur pater & filius. Cum dico, duo homines, considero eos absolute, ut entia sunt. Cum dico, unus generavit alterum, considero eos quatenus sunt causa & causatum: Ubi juxta relationem transcendentalem, qui generavit prior est generato, quatenus generavit. Cum dico, unum esse patrem, alterum filium, considero ipsos juxta tertiam acceptionem causæ, prout relata sunt predicamentalia.*

5. *Posita causa ponitur effectus. De quo sciendum, quod causam poni possit intelligi dupliciter. 1. quod ponatur inesse absoluto sive in actu primo, quatenus nimirum res aliqua est habens facultatem causandi, quæ actu non causat. Sic Deus ante mundi creationem erat in actu primo creator. 2. quod causa ponatur inesse causalitatis sive in actu secundo: Dum scilicet actu causat. Ubi facile constat, quod involuntariè agentibus possit aliqua causa poni in actu primo, quæ non ponatur in actu secundo, licet omnes conditiones adsint & nullum impedimentum. Quippè illa agunt liberè per voluntatem; sed in naturalibus agentibus aliter se res habet. Ibi enim dum causa ponitur in actu primo, statim etiam ponitur in actu secundo, nisi fortè obstant impedimenta & deficiat requisita. Quia scilicet agentia naturalia necessariò agunt, & non possunt non agere. Nunc observa, quod dictèrium illud loquatur de causa proxima & quidem de ea tantum, quæ simpliciter est proxima. E. g. Causa simpliciter proxima, cur studiosus abeat Lipsiam, ut velit accipere pecuniam. Hinc valet, vult accipere pecuniam, ergò abeat Lipsiam. Non verò valet axioma de causis remotis & universalibus. Possunt hæ etiam in actu secundo poni, ut non ponatur effectus. E. g. Sol est causa remota, cur ex ovo fiat gallus. Sol semper eodem modo est in actu secundo, nec tamen gallus ex ovo producitur, nisi accedente calore gallinæ matris. Interim semper aliquis effectus ponitur, qui ad causalitatem sequitur, & ad illam infert respectum.*

6. *Sublata*



6. *Sublata causa tollitur effectus.* Hoc est, non amplius fieri potest effectus à causa illa, quæ est sublata. Etiam universali causa sublata tollitur effectus quoad esse, ut amplius permanere non possit inesse factum.

7. *Qualis causa, talis effectus.* Loquitur axioma de causa efficiente, & valet in causis equivocis quoad bonitatem & malitiam, ita ut si causa bona sit (in actu secundo) effectus etiam sit talis futurus. E. g. quando architectus bene operatur juxta bonitatem artis, tum etiam sequitur opus bonum. Cavendum verò hic est, ne id, quod per accidens coheret cum causa vel effectu, sumatur tanquam per se, & ne diversa bonorum genera confundantur, nempe morale cum artificiali, aut naturali cum morali. Sic Deus est causa hominis, & bonus. Ergò & homo erit bonus: Scilicet essentialiter, non verò moraliter. Sic valet hic sutor est bonus, ergò efficit bonum calceum. Si nimirum de artificiali bonitate sermo sit, non verò de morali, quia hæc per accidens sutori inest. In reliquis attributis quæ bonitatem non concernunt, axioma præfens non valet. Non licet inferre, Deus est causa mundi & est infinitus, ergò mundus quoq; est infinitus. Cæterum in causis univocis valet quoad essentialia, non verò quoad contingentia.

8. *Causa toto genere non est deterior suo effectu.* Loquitur de causa principali efficiente. Hæc enim vel nobilior effectu, ut quando est æquivoca, vel æquæ nobilis, ut quando est Univoca.

9. *Nihil est in effectu, quod antea non fuerit in suis causis.* Intellige 1. perfectionem. 2. inesse non semper actualiter, sed potentialiter, ut fit sensus; Nihil perfectionis est in effectu, quod non potentia vel actu fuerit in causis.

10. *Propter quod unumquodq; est tale, illud magis est tale.* Varias hoc admittit instantias. Igitur cautelas hæc observes. 1. Prædicatum, juxta quod duo invicem comparantur, debet ambobus competere. 2. debet recipere magis & minus. 3. debet esse diversum numero respectu utriusq;. Alii etiam addunt, quod valeat in causis per se, in sufficientibus & ejusdem generis. Quod si una conditio desit, non valet axioma. E. g. Non valet, Homo est calidus propter vinum, ergò vinum magis est calidum, quia scil. prædicatum illud, calor, non competit ambobus subjectis. Vinum enim formaliter non est calidum. E. neq; magis esse poterit calidum. Item non valet, filius est homo propter patrem, ergò pater magis est homo, quia scilicet esse hominem non recipit magis nec minus. Item non valet: Homo videt propter oculum. E. oculus magis videt: Quia scilicet visio hominis & oculi est una numero, non diversa. Porro quoad primam cautelam observes, quod prædicatum utriusq; ita debeat convenire, ut per illud causa influat in effectum, sive ut illud & tale sit, juxta quod causa per se operatur producendo effectum, & à quo per se dependeat effectus. Quod si enim ita
se non

se non habeat illa communis affectio, non etiam valebit axioma. E.g. non valet, paries est albus propter pictorem dealbantem. E. pictor est magis albus. Potest enim & Æthiops esse pictor. Id autem propterea non sequitur, quia albedo neq; necessario in pictore requiritur, neq; est causa secundum quam influit in parietem, sed saltem per albedinem in penicillo dealbatur paries.

QUÆSTIONES.

I. An Causa per accidens sit vera & propriè dicta causa?

Omninò negatur hoc ζήτημα. Etenim causa per accidens non nisi equivocè est causa & præter nomen nihil de causa obtinet, cum non importet influxum ullum inesse effecti, neq; etiam effectus ab illa causa dependeat. Sive enim causam per accidens consideres ex parte causæ, sive ex parte effectus, non erit quod propriè causet. Nam 1. causa per accidens ex parte causæ dicitur, quando id, quod accidit causæ veræ, per se suo modo (hoc est nomine tenus) appellatur causa. Sic album dicitur causa domus, quia albedo accidit ædificatori: Ubi sanè apparet, quod albedo propriè non sit causa domus, sed planè impropiè & ex accidente ita nuncupetur. Deindè ex parte effectus causa per accidens dicitur, quando cum effectu per se conjungitur effectus per accidens: vel quando id, quod accidit causato per se, dicitur causa per accidens: Et hoc tripliciter fieri potest. 1. quia aliquo modo videtur habere ordinem necessarium ad effectum per se; Sicut remotio impedimenti dicitur causa per accidens. E.g. Movens columnam dicitur movere lapidem, cujus motus impediabatur in illa. 2. quia habet ordinem per accidens ad effectum, non verò necessarium, neq; ut in pluribus, sed ut in paucioribus. Sic inventio thesauri se habet ad fossionem terræ. Quo pertinent casus & Fortuna. 3. quia nullum habet ordinem ad effectum, nisi forsam per estimationem. Sicut si quis dicat, se causam esse terræ motus, quia eò intrante domum accidit terræ motus. Confer Armandum de bello visu tract. 2. termin. explic. p. 146. Ex his omnibus apparet, quod causa per accidens propriè non attingat productionem causati.

II. An omnis causa agat?

Et hoc negandum est, cum actio sit causalitas efficientis, adeoq; omne agens sit efficiens. Efficientis ergò est agere, non materie, quia hæc saltem recipit in sese formam, & sustentando eam constituit causatum:

Non forme, cum hæc actuet materiam informando & semetipsam insinuando.

FINIS.


AB: 67 $\frac{5}{c, 10}$


ULB Halle

003 357 104

3







TONUM
ICARUM
A,

11

ET PRIN-
TO,

AUSATO,

PRINCIPIO
dirigente,
DIO

SCHARFII
axonis,

COREA
itur

BERTUS
art,
ris matutinis,
inore.



R G Æ
STIANI THAM,
ogr.

XXIII.

